

Probatio di-
ctica è loco
definitio-
nis.

Videamus canones de medio dictico è loco de-
finitionis.

1 *De quo definitio affirmatur vel negatur, de eo ne-
cesse est ipsum definitum affirmari vel negari:*

Ut, pygmæus est animal rationale. E. homo. Transgressio
legis est peccatum. Avaritia est legis transgressio. E. pecca-
tum. Alii sic efferunt canonem: *Cui competit definitio, eidem
& definitum; & contrà.* Item, *Cui non convenit definitio, ei-
dem non convenit definitum.* Locum à definitione *Aristote-
les & Zabarella* non magnificiunt; eò quòd omnis hæc ar-
gumentatio principium petat; cùm definitio & definitum
idem sint. Vide *Zabar. de med. demonst. cap. 5. & ad cont. 105.
l. 5. post. & l. 1. de materiâ cap. 2.* Sed potest hæc talis argu-
mentatio admitti saltem *καθ' ἑμῶς.* Nobis enim definitio
est notior definito; & iccirco nobis aliquid notificat & pro-
bat de definito.

2 *Quod de definitione affirmatur vel negatur, id
etiam de definito affirmari vel negari necesse est, & vi-
ce versâ:*

Ut, Ars benè disferendi modum tradens, homini est ne-
cessaria. Ergò & Logica. Ars benè disferendi modum tra-
dens, non est negligenda. Ergò nec Logica. Solent hunc ca-
nonem sic enunciare: *Quod convenit definitioni, vel non
convenit, id etiam definito convenit, vel non convenit.* Exci-
pe ea, quæ conveniunt definitioni, quatenus definitio est:
ut, Animal rationale sunt duæ voces. Homo est animal ra-
tionale. Ergò &c.

Probatio di-
ctica è loco
distributio-
nis.

Canones de medio dictico è loco distributio-
nis sunt hi.

1 *De quo distributum affirmatur vel negatur, de eo
etiam distributio affirmatur vel negatur, & vice versâ:*

Ut, Est corpus animatum. Ergò est vel planta, vel animal.
Non est corpus animatum. Ergò neque planta, neque ani-
mal. Stella neque est homo, neque bestia. E. non est animal.

2 *Sublatis omnibus divisi membris, tollitur divisum:*
Ut sublato homine & bruto, tollitur animal.

Cap. 21.